

ullo potenter emolumento, aut si urgetur satisfactio quam offensor praestare nequeat. (S. Alph. n. 29) Nihilominus qui vindictam juridice prosequuntur, putans se bonam habere causam, non statim a beneficio absolutionis excludendus est, sed diligenter edocendus de obligatione odii vitandi, et, si protestatur se nullo malevolentiae affectu duci, absolvitur poterit. (Ball. P. n. 91)

**VI. De ordine et modo in reconciliatione servandis, haec notanda sunt :**

1º Offensor tenetur veniam petere, nisi alter quoque injuriam rependit vel certo praevideatur veniam denegatur, aut nisi offensor offensum superat dignitate vel statu. (D'Annib. l. c. nota 15)

2º Plerumque sufficit veniae petitio *virtualis*, quae fit ex. gr. donum mittendo, indebitum obsequium praestando. Quodsi offensus huic virtuali veniae petitioni acquiescere nolit, videndum e gravitate offense ceterisque adjunctis num rationabiliter petat *formalem*.

Confessarius igitur in imponenda formali veniae petitione sit prudenter. Numquam illam imponat ubi fieri nequit sine peccati occulti revelatione; immo, etiamsi quandoque objective requiri videtur, ab ea imponenda saepe abstineat ne frustra bonam poenitentis fidem perturbet. (Lehmk. I. n. 622, nota)

3º Si uterque offendit, prior reconciliationem procurare debet qui gravius laesit; si aequalis fuit laesio, qui prior laesit. Attamen, cum generatim sat aegre constet quis prior vel gravius laeserit, confessarius utrumque jubebit reconciliationem inchoare; caveat tamen ne, intempestive hanc obligationem urgendo, animos exacerbet. (Lehmk. I. n. 625)

**230. VII. Odium** quod caritati adversatur vocatur *inimicitiae* et fertur in personam secundum se et in bona quae habet, volendo illi malum quatenus illi malum est. Per se autem malum non est odium quod dici solet *abominationis*, quo non hominem, sed ejus malitiam vel saltem personam tantum quatenus malam vel nobis noxiem aversamur. Saepe tamen istud abominationis odium erit peccatum leve, eo quod personam hanc, absque causa rationabili, fugimus. Cfr. Bus. ap. S. Alph. n. 30.

**VIII. Licet optare proximo aliquod malum**, dummodo intentio *principaliter* feratur in bonum proximi et servetur ordo caritatis, quo exigitur ut bonum quod intendimus rationabiliter sit preferendum bono cuius privatio optatur. (Ball. P. n. 99)

Ideo licet ex. gr. mortem optare haeresiarchae vel publicae pacis turbatori, ob bonum commune et multorum salutem; desiderare morbum

aut egestatem peccantis ut resipiscat. (Bus. l. c.) Similiter licet patri desiderare mortem filii cuius flagitiis timet ne infametur familia. (Ball. P. n. 103) Nam rationabiliter sanitati vel vitae alicujus praefertur ejusdem bonum spirituale, commune bonum, multorum fama.

Contra reprobata est ab Innoc. XI prop. 14<sup>a</sup>: "Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimur ei obventura est pinguis hereditas." Nam proprium emolumentum temporale nequit rationabiliter praferri vitae proximi, ad quam conservandam etiam e bonis statui necessariis opitulari debemus.

Quid dicendum sit de gaudio quod, supposita alterius calamitate, aliquis fovet de proprio emolumento inde secuto, ex. gr. de hereditate ob mortuum patrem obtenta, satis liquet ex iis quae de simili prorsus argumento dicta sunt n. 171.

Si quis diversa mala optat inimico, ex. gr. mortem, infamiam, etc. probabilior videtur sententia quam tuetur Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 260): haec mala non esse in confessione explicanda eo quod, licet specifice differant, non desiderantur, nec attenduntur quatenus talia sunt, sed quatenus sunt malum proximi. Cfr. S. Alph. (l. 2. n. 50) qui et alias sententias proponit. Certo tamen explicanda essent mala specifice diversa quae aliquis *inferre* optasset.

**§ 5. DE SCANDALO IN GENERE.**

**231. DEFINITIO.** Scandalum, sensu vulgari et minus proprio, saepe designat admirationem quam in proximo excitat actio quaedam nova et extraordinaria et, saltem specie tenus, minus recta, licet nullus inde ad peccandum inducatur. Sensu autem theologico et proprio, designat dictum vel factum minus rectum, praebens proximo ruinae spiritualis occasionem.

Quae definitio ut rite intellegatur, adverte:

1º Ad scandalum requiri actionem quae vel in se mala sit, ex. gr. turpiloquium, vel saltem mali speciem habeat, ex. gr. die Veneris carnes publice edere ex justa dispensatione. Non est ergo proprium scandalum actio omnino recta qua alius abutitur ad peccandum. Nam "nihil secundum propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi secundum quod habet aliquem defectum rectitudinis; quia id quod est perfecte rectum magis munit hominem contra casum quam ad ruinam inducat." (2. 2. q. 43. a. 1)

2º Ruinam spiritualem intellegi detrimentum quod peccatum grave vel leve animae inferat. Parum autem refert utrum peccatum ad quod

proximus inducatur sit ejusdem an alias speciei, seu utrum actiones malae e scandalo oriundae sint similes an dissimiles actioni minus rectae quae scandalum constituit.

**DIVISIO.** 1º Scandalum distingui solet *activum* et *passivum*. Attamen soli scandalo activo convenit definitio data; passivum autem est peccatum occasionatum seu in quo labitur proximus, occasione dicti vel facti alieni.

Patet haberi posse activum sine passivo, puta si quis inducere velit ad fornicandum puellam quae non consentiat: nam ad activum sufficit actio vel omissio talis ut propter eam *probabiliter* existimetur peccatorus qui secus non peccasset. Similiter potest haberi passivum sine activo eo sensu qui explicabitur infra, ubi de scandalo pharisaico.

2º Scandalum activum distinguitur triplex (Lugo, de Poenit. disp. 16. n. 157) :

a) *Indirectum*, quod committitur quando agens praevidet ex actione sua facile posse induci proximum ad peccandum, id tamen non intendit, ex. gr. si clericus ancillam populo suspectam retineret tantum quia culinae esset peritissima.

b) *Directum*, quod committitur quando agens intendit proximum inducere ad actionem pravam, quam tamen non spectat ut malum proximi, sed ut lucrum suum, ex. gr. turpiloquia miscens cum puella ad obtinendam fornicationem.

c) *Diabolicum*, quod committitur quando agens similiter intendit actionem pravam alterius, sed formaliter tamquam ruinam ejus spiritualem, ex. gr. impios sermones habens ut fidem e cordibus evellet. Patet id pertinere tantum ad homines nequissimos.

3º Scandalum passivum distinguitur duplex :

a) *Pusillorum*, quod oritur e scandalo activo propter proximi ignorantiam vel debilitatem.

b) *Pharisaicum*, quod oritur unice ex ipsius scandalum patientis malitia, ut odium quod Pharisei in Christum conceperunt ob ejus opera perfectissima. (1)

**232. ASSERTA. I.** Scandalum activum quocumque adversatur caritati, ideoque constituit peccatum grave vel leve prout datur proximo occasio peccati gravis vel levis. Scandalum autem diabolicum insuper habet specialem malitiam contra caritatem Dei. (Strugl, tr. 4. q. 5. n. 21) Attamen nonnisi leviter peccare videntur qui, sine prava inten-

(1) In his divisionibus explicandis AA. nonnihil dissident: unde apud singulos videndum quid intendant praesertim per scandalum passivum et pusillorum.

tione, occasionem valde levem praebent iis qui facillime in peccata etiam gravia labuntur, ex. gr. liberi qui praevident e levi sua inobedientia parentes in blasphemias, pro inolta consuetudine, erupturos esse. Etenim hujusmodi peccata fere unice e malitia proximi oriuntur: qui, si una occasio subtrahitur, aliam facillime reperiet ac proinde modicum detrimentum ab hujusmodi scandallo patitur. (Berardi, Prax. Conf. n. 591)

**II.** Scandalum directum, sive etiam diabolicum, praeter peccatum contra caritatem, continet peccatum contra virtutem ad quam violandam proximus inductus est: nam quaelibet virtus specialiter obligat non tantum ad eam exercendam, sed etiam ne eam in aliis impediatur. Ideo in confessione explicandum est ad quodnam peccatum, ex. gr. furti, turpis tactus, etc. proximus per scandalum directum inductus sit.

Num idem statuendum sit de scandalo indirecto, controvertitur. Alii cum S. Alph. (l. 3. n. 45) affirmant; alii cum Lugo (de Poenit. disp. 16. n. 159) probabilius negant, quia virtutes singulae non jubent ut earum violationem ab aliis impediatur et in hunc finem abstineas ab iis peccatis e quibus, praeter intentionem tuam, talis violatio sequi possit. Quare in scandalo indirecto non est opus accusare speciem peccati ad quod proximus inductus est.

Probabilius non est accusanda in confessione circumstantia *inductionis* ad fornicationem vel simile peccatum carnale cum complice commisum. Ratio est, quod alter in idem peccatum consentiens et ipse priori dedit scandalum: unde quod unus incepit sollicitare non videtur esse nisi circumstantia aggravans. (S. Alph. n. 46)

**III.** Scandalum tum activum, tum passivum, est aliquid *prorsus relativum* ad condiciones personarum a quibus datur vel accipitur. Nempe:

1º Quanto magis aliquis dignitate eminent vel aliorum aestimatione fruitur, tanto magis sibi invigilare debet ne quid minus recti faciat. Nam alii propensiores erunt ad haec minus recta exempla sectanda.

2º Facile dari potest scandalum ab iis qui, ut clerici vel religiosi, Ecclesiam catholicam, clerum vel ordinem religiosum quodammodo repreäsentant. Nam propter ea quae ipsi minus recte faciunt, saepe alii incipiunt male de fide, clero, religiosis sentire vel minus ad pietatem affici. Contra, si quis laicus peccat, saepe nullum scandalum orietur: nam nullum peccatum in eo est quod alii, ob indicia sufficientia, male de ipso suspicari vel sentire incipiunt.

3º Si ii coram quibus peccatur, tales sunt ut hac minus recta actione ad nullum peccatum movendi praevideantur, nullum fiet propriè scan-

dalum. Hoc autem continget praesertim cum isti sunt in virtute firmissimi vel in peccato habituati. Exemplum habes in eo qui blasphemat coram monialibus vel coram opificibus qui jugiter blasphemare soleant.

**233. IV.** Si quis praevidet ex actione sibi licita, sed specie tenuis mala, ex. gr. violatione abstinentiae, aliquem scandalum passurum esse, debet eam omittere vel videntes monere de justa actionis suae ratione; quodsi neutrum facere potest sine gravi incommodo, jam de alterius peccato eurare non debet. Patet ex obligatione quam caritas imponit, sed absque gravi incommodo nostro, vitandi spiritualem proximi ruinam.

**V.** Actionem in se bonam, nec specie tenuis malam, licet ponere ex quavis causa, etiam non gravi, necessitatis vel utilitatis, etiamsi proximus praevidetur hac occasione peccaturus. Quoniam enim hujusmodi actio modicum confert ad peccatum proximi, qui fere unice e propria malitia peccat, levius etiam causa proportionem habet cum talis causae positione. Ita licet petere mutuum ab usurario unice ad lucrum negotiatione quaerendum; petere, etiam ex mera devotione, sacramenta a ministro qui ea non sine peccato ministraturus est, quando nullus alias commode adiri potest, etc.

Idem absque causa justa non licet, quia caritate jubemur nullam dare occasionem peccatis alienis, si facile possumus. Attamen, quando res in se bona petitur ab eo qui jam actu ad peccandum paratus est, ex. gr. pecunia ad usus vanos ab usurario, probabilius nonnisi leve peccatum committitur, ut cum multis AA. opinatur Lugo (de Just. et J. disp. 25 n. 235), quia damnum quod ita proximo infertur modicum est, cum parum noceat ei qui jam ex parte sua voluntatem malam habet et illam alibi exsecutioni mandavit, proponere occasionem in qua, praeter intentionem meam, illam exsequatur; reapse scandalum totum provenit e malitia alterius qui posset facillime, si vellet, peccatum vitare. S. Alph. tamen (n. 47) pro gravi culpa stat, eo quod opinatur grave nocumentum spirituale alteri inferri.

**234. VI.** Res praecepta numquam sunt omittendae propter scandalum pharisaeicum. Propter scandalum autem pusillorum, plures opinantur omittenda esse, saltem una vel altera vice, praecpta positiva, ex. gr. Missae auditionem a muliere quae praevidet se in ecclesia ab aliquo determinato viro turpiter concupitumiri. Hanc sententiam S. Alph. (l. 3. n. 51) probabiliorem censet, eo quod praecptum generale de vitando scando proximi, cum sit naturale, praferendum est praecptis positivis. Alii, quorum sententiam idem S. Doctor (l. c.) probabi-

lem dicit, tenent praecpta etiam positiva non desinere ob scandalum quod sit mere acceptum: his astipulamur. Practice igitur mulier, de qua in exemplo dato, potest Sacrum vel adire vel omittere.

**VII.** Licet probabilius apponere alteri occasionem peccandi, dummodo id fiat ob justam causam: nam nihil aliud fit quam ponere actum indiferentem, permittendo ob rationem sufficientem, peccatum alienum, quod alioquin nullatenus cum hac permissione per se conectitur. Ita licet marito vel hero dare occasionem adulterii vel furti uxori vel famulo de cuius fide dubitat: nam ipsius maxime interest eam fidem habere exploratam. (S. Alph. n. 58) Plures tamen contradicunt, immerito existimantes in his haberi positivam inductionem ad peccatum, quae sit intrinsece mala.

**VIII.** Licet probabilius suadere minus malum ei qui ad majus faciendum omnino determinatus est. Nam, quando aliquis nullo modo (ut supponitur) a malo patrando deterrei potest, suadere minus malum habet rationem boni. Ideo determinato ad adulterium suadere licet fornicationem, determinato ad homicidium consuli potest furtum. (S. Alph. n. 57)

#### § 6. DE COOPERATIONE IN GENERE

**235. NOTIONES.** Cooperatio est concursus cum alio principaliter agente. Manifestum est cooperationem ad peccatum alienum, quam unice intuentur Theologi Morales, semper referri ad peccata externa.

Cooperatio dividitur praecipue:

1º In *formalem* et *materiale*. Prior ea est qua quis tum ad intentionem, tum ad opus externum principalis agentis concurrit; posterior, qua quis concurrit tantum ad opus externum. (S. Alph. n. 63; D'Annib. I. n. 174)

2º In *proximam* et *remotam*, prout artior vel minus arta conexio habetur inter actionem principalem et secundariam. Pressius id definiri nequit, sed prudenti arbitrio in variis casibus determinandum est.

**ASSERTA. I.** Numquam licet cooperatio formalis cum alterius peccato.

Ratio patet: concursus cum peccantis intentione necessario supponit pravam voluntatem.

**II.** Cooperatio materialis semper illicita est, quando fit per opus in se malum, ex. gr. emendo rem furto sublatam cum animo eam habendi ut